



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 33. Ejusdem Pontificis anxietas ob pacis fœdus inter Imperatorem & Hispaniæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

intra quatuor, ultra Montes intra octo
 Menses suo sponte ad suam quisque re-
 ligionem rediisset, anno Jubilæi post
 petitam a suis Superioribus veniam &
 absolutionem, sine omni pœna recipian-
 tur, *Ut oves, quas sathanae versutia a
 caulis Domini abduxit, ad easdem eo prom-
 ptius reducantur, ne in perpetuum pereant:*
 Quoniam vero Bartholomæus Gavanti
 Clericus Regularis Congregationis Bar-
 nabitaram ob tot exantlatos labores,
 editosque libros de Congregatione Sa-
 crorum Rituum optime meritus fuisset,
 hinc Pontifex in gratitudinis signum
 indulgit, ut deinceps locus Consultoris
 in præfata S. Rituum Congregatione
 semper uni ex Barnabitis assignaretur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XXXIII.

*Ejusdem Pontificis anxietas ob pacis
 fœdus inter Imperatorem, &
 Hispaniæ Regem.*

Cum controversia de jure successionis
 in Hispaniæ Regnum & Parmen-
 sem ac Florentinum Ducatum per pa-
 cem Badensem non fuisset decisa, &
 Hispaniæ Rex Siciliam æque ac Sardi-
 niam hostiliter invasisset, ad com-
 ponendas has lites exeunte anno hujus
 sæculi vigesimo novus Congressus Ca-
 meracum indicebatur. Varia tum in
Hist. Eccles. Tom. LXXII. M me-

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

medium fuere prolata, conclusum tamen nihil, & ipsa causæ difficultas non minus, quam litigantium animositas universam Europam expectatione suspensam tenuit. Ex nova tamen animorum acerbitate inter Cæsarem & Hispaniæ Regem (quod plane mirum) nata est concordia, & controversiæ exitus; postquam enim Ludovicus XV. Galliarum Rex Annam Victoriam, Sponsam suam Philippi V. Hispaniæ Regis Filiam in Hispaniam remiserat, & Mariam, Stanislai Lescynski Poloniæ Regis Filiam sibi in thori sociam elegerat, Hispaniæ Rex injuriam suo nomini illatam ratus, ultionem parabat; Præprimis ergo suum Legatum ex Galliis revocat, dein aucto odio & utriusque agnatæ Domus aversione, Cameraensem Congressum abruptit, relictisque ibidem Regum Legatis ipse privatam Viennæ cum Carolo Cæsare pacem, fædusque amicitæ & defensionis mutæ init, cui postmodum accessit tractatus Hannoveranus, fædus Cæsaris cum Suecia ac Moscovia, ac denique Pax universalis. Videbatur Europa novam induisse faciem, & de compositis diffidiis gaudebant omnes; soli Benedicto XIII. hæc pax graves afferre videbatur sollicitudines: Dolebat præprimis per hujus pacificationis condiciones

Parmæ

Parmæ & Placentiæ Ducatus in Hispanum Principem rursus devolutos, & Jura Sedis Apostolicæ penitus neglecta: Querebatur itidem, dominium binis abhinc sæculis pacifice usque ad hæc tempora a Pontificibus continuatum, jam nunc ab aliis, se quasi in scio pefumdatum, pacem Westphalicam & Olivensem esse firmatas, & Viennensem ac Gallicam Aulam arctius cum Protestantibus conjunctam. Eapropter ad suos Nuntios Apostolicos quaquaversum hac super re literas perscribit, oppido graves, omnesque Catholicos Europæ Principes admonet de vulnere auctoritati Sedis Apostolicæ inflicto; ast irrito prorsus conatu, prævaluit enim certæ pacis utilitas dubii juris tuendi proposito, ac ex in novam controversiam excitandi periculo.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. XXXIV.

Constitutiones ac decisiones S. Congregationum.

Hoc item anno S. Congregationum plura decreta annuente & confirmante summo Pontifice, fuere edita, & primo quidem occasione Jubilæi Benedictus XIII. die decima Januarii declaravit, in generali Indulgentiarum suspensione non intelligi suspensas in-

*Decret.
Congr. Rit.*

M 2 indulgen-